



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Confessionale, || In Qvo || Vniversa || Materia De ||  
Confessione Pec-||catorvm Apvd Catholicos || vsitata per  
Quæstiones explicatur**

**Eisengrein, Martin**

**Ingolstadii, 1577**

**VD16 E 795**

XLVIII. Vtrùm liceat absenti Sacerdoti per nuntium confiteri.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-30362**

perurgent, vbi secreta Confessio in Euangelio reperiatur instituta, satis nobis est respondere, in Euangelio collatas esse Ecclesiæ claves, & potestatem remittendi peccata omnia, quæ DEVS remittit: Ergo omnia, etiam occultissima cordis, & hoc non nisi per iudicium, quod causæ cognitionem requirit, & eius naturæ est, ne occulta in publicum proferantur. Ergo in Euangelio est secreta Confessio instituta.

*Licetne absenti Sacerdoti per nuntium confiteri?*

*Questio XLVIII.*

**N**equaquam: Quia forum Confessionis debet esse secretum, & nemini tenetur homo reuelare peccata, nisi Sacerdoti.

*Responsio.*

SECUNDO dico, quod non est licitum, hoc modo confiteri, nec talis Confessio, si fiat, potest esse Sacramentalis, nec Sacerdos potest talem absoluere, nec est rationi conforme: Quia Confessio debet esse forum secretissimum; nam licet Confessio publica quoque esse possit; tamen quia Sacramenta non sunt contra legem naturæ, secundum quam non licet publicare peccata, idcirco Confessio secreta sit oportet, secundum naturæ leges, & non ratione clauium.

Ratio igitur, quare talis non debeat absolui, est; quia Sacerdos ad legitimè absoluendum certus esse debeat, non modò, an il-

G 3 la pec-

### Caput III. De Qualitate

la peccata pœnitens admiserit; verùm etiam an firmum conceperit propositum cauendi in futurum peccatum. Per nuntium autem de horum neutro ipsi certius quicquam cõstare potest, cùm nuntius mentiri possit, & pœnitens mutauerit sententiam, nec serium habeat propositum, abstinenti à peccatis.

*Quæstio*  
II. *Potestne quis per Interpretem Sacerdoti præsentem confiteri?*

*Respõsio.* **E**T si propter periculum famæ & scandali nemo obligatur ad confitendum per interpretem; certum tamen est licere cuique linguæ ignaro confiteri peccata in præsentia Sacerdotis per interpretem, quæ vtrique Confessio valida erit, & conferri poterit Absolutio: Est enim diuersa ratio, quàm de internuntio. Quia quando internuntius refert peccata Sacerdoti, pœnitens non est præsens; per interpretem autem signo & nutu ostendit pœnitens, se eius reum esse, quod interpres dicit; & sic est verum Sacramentum. Et interpres omninò tenetur occultare peccata, quæ audiuit.

*Quæstio*  
L. *Teneturne interpres tam arcto vinculo ad sigillum Confessionis, quàm Sacerdos?*

*Respõsio.* **R**espondent aliqui Theologi, quòd non: Nam interpres, inquiunt, non fungitur munere